



V. Regule generales.

1) ULtimo ponende sunt quedam regule generales, que sunt ualde necessarie fratribus, qui mittuntur ad exterarum nationes quascumque. Quas regulas ego per experientiam didici cum dispendio peregrinationis mee et sociorum. Non enim sciebam que scire oportet, quando iui, sed more imperfecti medici processi, qui praticando conatur discere medicinam.

Regula prima.

2) PRima regula est, quia scire oportet, quod nullo modo expedit predicare uel disputare cum extraneis de fide per interpretem.

3) Nam interpretes communes, quantumcumque bene sciant linguas et sufficienter quantum ad uendendum et emendum et ad comuniter <sic> conuiuendum, nesciunt tamen fidem et ea, que sunt intima fidei, exprimere per uerba propria et conuenientia. Et uerecundantur dicere: "Ego non intelligo" uel "Nescio dicere". Et ideo peruertunt uerba et dicunt alia pro aliis. Non enim sciunt quid est natura, uel ypostasis, uel persona, uel forma, uel materia, et alia multa enuntiabilia incomplexa, sicut accidens, substantia, accidentaliter, substantialiter, dimensionaliter, et cetera talia huiusmodi.

4) Minus etiam sciunt quasdam enunciationes. Nesciunt enim dicere: "Pater est alius a filio, non aliud" et alia huiusmodi. Unde oportet, quod fratres bene discant linguam. Et oportuit me inter arabes non solum discere linguam, sed etiam dyalecticam etc.

Regula secunda. //243u//

5) SEcunda regula est, quia oportet fratres esse doctos et copiosos in textu sacre scripture et non confidere de nostris expositionibus, quia non curant alieni de ipsis uel de nostris originalibus. Set christiani orientales sciunt testum ueteris testamenti et noui. Et iudei sciunt

legem ueterem quantum ad litteram; et non habent multas translationes quas nos habemus, sicut supra dictum est in primo capitulo de iudeis.

Tertia regula.

6) Tertia regula est, quia oportet scire positiones eorum et motiua et causas diuersarum sectarum, et si errant ab essentialibus 'fidei' uel non, ut sciatur, qui sunt heretici uel non.

7) Nam licet non concordent nobiscum in ritu, non est periculum, dummodo concordent in fide, quia fides christianorum est una, sicut et Deus est unus. Unde Apostolus Ephe. 4: «Unus Deus, una fides» etc. Non dicit "unus ritus".

8) Fratres autem sepe contendunt cum eis inutiliter de diuersitate ritus, cum habeant eos reducere solum ad unitatem fidei, non ad unitatem ritus.

9) Christiani uero orientales dicunt: "Fides francorum est talis; fides nestorinorum est alia talis; fides iacobinorum est talis".

10) Ecclesia uero catholica est uniuersalis et una, sicut fides una. Unde oportet, quod in essentialibus fidei omnes christiani conueniant, et dicatur fides catholica, id est uniuersalis omnium christianorum, et non fides francorum specialiter siue caldeorum, et non diuidatur ecclesia in diuersas fides.

Regula quarta.

11) Quarta regula est talis, quod in omni secta incipiendum est disputare uel conferre cum maioribus de secta illa. Minores enim et simplices, et si conuincantur per fratres, non permanent nec perseuerant, sed faciliter seducuntur per suos episcopos et per alios maiores suos etc.

12) Incipiendum est etiam ordine doctrine a facilioribus. Nam omnes orientales incipiunt querere ardua fidei //244r// nostre ut de trinitate, de predestinatione, de incarnatione.

13) Omnes enim saraceni et nestorini libenter querunt et derisiue, quomodo potest esse, quod Deus sit uere natus de una mulier[e], uel quod Deus sit mortuus. Ex quibus credunt conclusum esse certissime, quod nec matri prefuit, nec post mortem remansit. Unde non oportet statim respondere ipsis de istis, sed de aliis leuioribus, ex quibus facilius manducantur(1) ad ista.

14) Et oportet eis loqui reuerenter et humiliter. Nam ipsi orientales quasi omnes sunt ypocrite et adultores et multum se humiliant, dicentes se esse peccatores et simplices et nihil ualere. Unde quando nostri magnificent se in aliquo, contempnunt nos et nostram doctrinam.

Regula quinta, qualis debet predicator.

15) QVinta regula est, quia non sufficit predicatori, qui mittitur, esse illuminatum intellectu, scilicet quod sciat linguam per se proferre, scripturas intelligere, sectas et motiua colligere, discrete discernere cum quibus et a quibus debet incipere; sed summopere scire oportet, qualis esse debeat in affectu, scilicet quam feruidus et constans, quod solo Dei amore et animarum salute moueri debeat.

16) De quo sic dicit Chrisostomus in libro De laudibus Pauli:(2)
 «Eum siquidem qui officium suscipit predicandi, non oportet esse mollem aut resolutum, sed fortem et per cuncta robustum. Neque enim attingere quisque debet preclari huius muneris functionem, nisi paratus sit animam milies in mortem tradere atque discrimina. Qui enim non tali animo est, multos alios suo perdet exemplo. Magisque utile est, ut quiescat sibique tantum uacet. Non ita [nauium] gubernatorem, non [ita] ad bestias dimicantem, non ludo gladiatorio destinatum, non quempiam sic ad mortem siue discrimina paratam atque dispositam habere oportet animam, ut eum qui officium suscipit predicandi. Profecto et aduersarii seuiores et grauiora pericula, nec usquam simili condicione certatur. Celum namque in premio, gehenna in supplicio preponitur.» Hec Chrisostomus.

<i marginen, senere hånd: Conuentus S.e. M.e. No.lle de Flo.a. or.is P.>

Endnotes

3 cfr. N. Cusanus?

4 Homil vi, PG 50, col. 507-508; ifg. dondaine.

November 1997, Kurt Villads Jensen, e-mail kvj@hist.sdu.dk.

Web-design: stud.mag. Jens Frost Thuelund, IT-funktionen, humaniora, e-mail jft@sigma.sdu.dk.